proceres in diversum abeunt, quin ubique fateantur, veram felicitatem consistere in cognitione Dei. Hinc accuratiores quiq; anxiè laborarunt, ut Deum cognoscererent. Nosquoq; in præsenti negotio philosophorum naturalium ductum secuti considerabimus quod & quale γνωστὸν τ̃ θ̃ lumine naturæ nobis pateat, & quousque ratio, non adjuta DEI verbo, pertingat, ita tamen ut non ipsum templum Dei cognitionis ingressi inde thesaurum noticiæ hujus reportemus; sed in adytis solum & atrio consistamus, audituri & dicturi ea, quæ foris circumferuntur, non obscura potentiæ & sapientiæ divinæ vestigia Et si quandoque datâ occasione sublimioris templi lucis splendor cæcitatem nostram fenerarit, grato animo ejus radios recipiemus. Tu ergo, mi Jesu, omnis humanæ & divinæ sapientiæ lux, accende augeque & in nobis cognitionis & veritatis lucem!

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ
DE
EXISTENTIA THEOLOGIÆ NATURALIS.

§. I. Non temerè auspicantur disputaturi â quæstione, quâ quæritur de τῷ ὅτι; præsertim urgente Adversariorum contradictione, cum citra probatam rei controversæ existentiam, essentiæ & quidditatis investigandæ labor frustrà suscipiatur. Nos haut immeritò usitatam methodum secuti præmittimus quæstionem de existentia rei quæsitæ, *An detur sc. Theologia naturalis*, idque non tam rei in se dubiæ necessitate, quàm Atheorum profanitate & insipientia inducti facimus. Tota enim natura mortalium & omne in eâ contentum, etiamsi judicio vulgi minutissimum, προθέσει nostrâ militabit, exceptis pauciss̃imis creaturis, quæ mẽte, cñ Deis alias cõmuni, prorsus extinctâ & sensu cũ belluis conveniente, ejurato omne Numinis divini vacuum, malitiosè principiis innatis abutentes affectant. Hujusmodi notitiæ Dei naturales debellatores quales & quo nomine nuncupari mereantur? incertum est: Non certè homines cum nihil

hu-